



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Reginonis Abbatis Prumiensis Libri Duo De Ecclesiasticis  
Disciplinis & religione Christiana**

**Regino <Prumiensis>**

**Parisiis, 1671**

414. Qualiter Episcopus reconciliet vel recipiat excommunicatum.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-14622**

dictæ reliquiæ illorum , maledictus fructus ventris eorum , & fructus terræ illorum . Maledicti sint ingredientes , & maledicti sint egredientes ; sintque in domo maledicti , in agro profugi ; veniantque super eos omnes illæ maledictiones quas Dominus per Moysen in populum divinæ legis prævaricatorem se esse missurum intentavit ; sintque anathema maranatha , id est , pereant in secundo adventu Domini . Nullus eis Christianus ave dicat . Nullus Presbyter Missam celebrare præsumat , vel sanctam communionem dare . Sepultura asini sepeliantur , & in sterquilinium sint super faciem terræ . Et sicut hæ lucernæ de manibus nostris projectæ hodie extinguntur , sic eorum lucerna in æternum extinguitur ; nisi forte resipuerint , & Ecclesiæ Dei , quam læserunt , per emendationem & condignam pœnitentiam satisfecerint .

## EX COMMUNICATIO BREVIS.

CCCC XIII. Canonica instituta & sanctorum patrum exempla sequentes , Ecclesiæ rum Dei violatores illos auctoritate Dei & iudicio sancti Spiritus à gremio sanctæ matris Ecclesiæ & consortio totius Christianitatis eliminamus , quousque resplicant , & Ecclesiæ Dei satisfaciant .

Burchard. lib.  
11. c. 7. & a-  
pus Centuria-  
tores ibid.

Qualiter Episcopus reconciliet vel recipiat excommunicatum .

CCCC XIV. Cùm aliquis excommuni- catus vel anathematizatus , pœnitentia ductus , veniam postulat , & emendationem promittit ,

Burchard. lib.  
11. c. 8.

Episcopus qui eum excommunicavit, ante januas Ecclesiæ venire debet, & duodecim Presbyteri cum eo, qui eum hinc inde circumstare debent. ubi etiam adesse debent illi quibus injuria vel damnum illatum est. & ibi secundum leges divinas & humanas oportet damnum commissum emendari, aut, si jam emendatum est, eorum testimonio comprobari. Deinde interroget Episcopus si pœnitentiam, juxta quod canones præcipiunt, pro perpetratis sceleribus suscipere velit. Et si ille terræ prostratus veniam postulat, culpam confitetur, pœnitentiam implorat, de futuris cautelam spondet, tunc Episcopus, apprehensa manu ejus dextera, eum in Ecclesiam introducat, & ei communionem & societatem Christianam reddat. Post hæc secundum modum culpæ pœnitentiam ei injungat, & litteras per parochiam dirigat, ut omnes noverint eum in societate Christiana receptum. Aliis etiam Episcopis hoc notum faciat. Nullus autem Episcopus alterius parochianum excommunicare vel reconciliare præsumat sine conscientia vel consensu proprij Episcopi.

De eo qui patrem vel matrem inhonorat.  
*Ex Concilio Rotomagensi.*

CCCCXV. Si quis patrem aut matrem percutit, aut maledicit, quia capitalia crimina commisit, publicam inde pœnitentiam agat, sicuti de gravioribus peccatis. Ait enim Dominus: *Qui maledixerit patri vel matri, morietur.* Quem enim Dominus dignum morte judicat, proculdubio pro homicida tenetur,